

Sight Recitation

Area F 2004
McCallum High School

Level 2

POLYPHEMUS IS BLINDED.

Hāc ōrātiōne habitā extrēmam clāvam ignī calefēcit, atque hāc oculum Polyphēmī dormientis perfōdit; quō factō omnēs in dīversās spēluncae partēs sē abdidērunt. At ille hōc dolōre oculī ē somnō excitātus clāmōrem terribilem sustulit, et dum in spēluncā errat, Ulixem manū p̄prehendere cōnābātur; cum tamen iam 5 omnīnō caecus esset, nullō modō id efficere potuit. Intereā reliquī Cyclōpēs clāmōre auditō undique ad spēluncam convēnerant; et ad introitum adstantēs quid Polyphēmus ageret quaesivērunt, et quam ob causam tantum clāmōrem sustulisset. Ille respondit sē graviter vulnerātum esse, ac magnō dolōre adfici. Cum postea 10 quaesivissent quis eī vim intulisset, respondit Nēminem id fēcisse; quibus rēbus auditīs ūnus ē Cyclōpibus, "At sī nēmō," inquit, "tē vulnerāvit, nōn dubium est quīn cōnsiliō deōrum, quibus resistere nec possumus nec volumus, hōc suppliciō adfectus sīs." Hoc cum dīxisset, abiērunt Cyclōpēs eum in insāniam incidisse 15 arbitrātī.